



Disputatio medica inauguralis de ictero

<https://hdl.handle.net/1874/343325>

10.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
I C T E R O,

QUAM
AUSPICE DEO OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicorum Consensu, Nobilissimeque
Facultatis MEDICÆ Decreto,

PROGRADU DOCTORATUS
Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis, ritè
& legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit
S A M U E L S H A W, ANGLUS.

Ad diem 4. Junii, horis locoque solitis.



V A T R A J E C T I ad R H E N U M, .

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc xcii.

*Illustriſſimo, Honoratiſſimo, Nobiliſſimo
DOMINO, DOMINO*

**T H O M Æ
C O M I T I
S T A N F O R D I E N S I
B A R O N I
G R A Y D E G R O O B Y , &c.**

*Hacce (quales quales) Theses Iuauigurales
In æternum, Honoris & Obser-
vantiae, Symbolum
Sacras esse voluit*

SHAW,

AUCT. & RESP.


DISPUTATIONIS MEDICÆ

INAUGURALIS,

D E

ICTERO.

THESES I.



Nter multiplicem morborum cohortem,
quibus misera infestatur Gens humana,
non insimum sanguinem vendicat locum, dispu-
tationis nostræ subjectum, Icterus: Quip-
pe qui morbi intricatissimi nomen audit:
Ad quem rectius intelligendum, non omni-
nò fore abs re duxi, si paucula quædam,
ad nominum ejus Etymologiam spectantia,
prælibarem.

I I.

Italop., vel ut alii scribunt *intepos*, denominationem accipit
vel *ænæ & inlid*. Vivera, quod ea Oculos auricolores habet, vel
ab *Ictero*, Ave ejus coloris, cuius aspectu hoc morbo correptos
sanari, & ipsam Aviculam mori, traditur. Sed credat *Judeus Apella*. Suidas ab *intiv* vel *intriv* deduci putat. Quod hic morbus
affectorum oculos facit pallidos, ut *intriv* i.e. Milvorum. Latinis
morbus Regius, quia Apparatu Regio, Lasciviis, Cantu, Deli-
tiis, Vitâ solutâ curis; vel Oenomelite (Potione Regiâ) sanatur:
Eleganter Q. Serenus. *Molliter hic quoniam celsa curatur in Aula*.
Arcuatus vel Arquatus à colore Arcus cælestis æmulo. Aurigo de-
nique propter Auri colorem, quem Bilis per totum diffusa corpus
mentitur. *Cels*.

DISPUTATIO MEDICA

LIBERUS

Præmissa itaque nominum explicatione, sequitur ut ad naturam ejus eruendam, explicandamque aggrediar. Cum autem teste Oratore, disputatio debet à definitione proficiisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur, etiam hic ab Icteri definitione incipendum est. Icterus autem est morbus corporis totius Cutem, ungues, & præcipue Album oculorum, ut & Urinam, nunc nigro, nunc viridi, ut plurimum verò flavo calore, tingens.

I V.

Cutem quod attinet, quæ in hoc morbo, colore flavo plus minus semper inficitur, cum ea tribus Lamellis constat, ut probat Oculatissimus Malpighius, hinc colorem Ictericum à subjecto mucoso, & corpore reticulari ortum trahere, idem concludit. Non tantum vero partes externæ, verum etiam internæ variæ, tam fluidæ, quam solidæ, pro morbi subjecto accusandæ veniunt: Fluidæ sunt sanguis & humores: Solidæ, Ventriculus, Intestina, Pulmones, Hepar, & præcipue Vasa Bilis collectioni & secretioni famulantia: imo nonnunquam Ossa, ut ex Autopsia in Ictericorum Cadaveribus observare est. Vide Kerckringii Specileg. *Anatom. obs.* 57. sed de subjecto satis.

V.

In recitandis aliorum sententiis circa hujus morbi causas non multis hic morabor; nam ita texenda mihi foret prolixa nimis digressio. His igitur prætermis, sanguinem viscosum & crassum morbo Regio ansam dare, audacter affirmem. Cum enim sanguis debitam liquiditatem non habens, circulationis lege ad Hepar defertur, nec ubique per angustissimos ejus ductus liberè satis & periciter fluere possit; hinc fit, ut in Radicibus exiguis vasorum Biliariorum, nec non minimis istis Acanthos glandulosis, ex quibus tota Hepatis Compages imprimis constat, & per quos Bilis in vesiculam Feli, & Porum Biliarium filtratur, hærere & obstructiones efficeret,

I N A U G U R A L I S.

re, necesse habeat: Quibus infarctis Bilis transcolari & secessi non potest, sed sanguini admissa manens, cum eo per hiantes Venæ Cavæ Radices absorbetur, & ad cor, & omnes corporis partes, quibus colorem flavum conciliat, defertur. Et hic prorsus rejicienda est eorum opinio, qui statuunt Bilem ex vesicula fellea in Hepar regurgitare, & ita cum sanguine misceri: Nam valva modo parva, modo magna juxta ejus orificium affixa est, Bilis Regressum omnem ex vesica in Hepar præpediens.

V I.

Sanguinem in Affectu Isterico ad Tarditatem & Viscositatem esse depositum cuivis Phænomina ejus pensitanti, liquidò apparet. Sive enim Causas, sive Symptoma, sive Eventum, sive Methodum medendi consideremus (de quibus ordine tractabimus) singula humores effatos, crassos, & obstructionibus producendis aptos indicant: Denique, calculi in vasis Bilariis inventi, qui sine Bile viscidæ & crassæ, diutius quam par est, in illis detentæ, generari nequeunt, hanc sententiam egregriè confirmant: tales inveniri lapides ex observatione Anatomicâ abunde constat: Cujus rei exemplum non ita pridem in Amphi-theatro Anatomico publicè ostendebat Clariss. Antonius Nuck in Academiâ Lugduni-Batavorum Anatomæ Professor, in Vesica Bilaria, cujus Cavitas Calculo nigrante & mediocriter magno totaliter impleta erat. Innumera alia Exempla Calculorum in Vasis Bilariis repertorum apud Medicos & Anatomicos passim videre est, quæ Consueta Thesæs Brevitas non sinit recensere. Sufficiat impræsentiarum annotare, hos Lapides frustulatim comminutos in Intestina delabi, indeque per Alvum non raro excerni.

V I I.

Causa Proxima ita explicata, ad Causas Remotas accedimus, quæ secundum Methodum vulgarem in Internas & Externas fatis commodè dispesci possunt. Causæ Internæ sunt Defectus vel Vitium Bilis & Succi Pancreatici: Cum enim isti Humores, qui Partis Chyli Excrementitiæ à Nutritiâ, in Intestinis, Secretioni-

6 DISPUTATIO MEDICA

inserviunt, nimis pauci, vel nimis insulsi sunt, Chyli Particulae Tenuiores à Crassioribus dissolvi & seperari nequeunt, unde Sanguis non satis Volatilis & Spirituosus existens, sed partes Crudas Viscidasque admistas habens, Obstructiones, & Consequenter Icterum facile parit.

VIII.

Causæ Externæ nunc examinandæ veniunt, quarum Aliæ ex Rebus Nonnaturalibus, Aliæ ex Rebus Præternaturalibus, ut loqui amant Medicorum Filii, desumuntur. Aër Crassus, frigidus, humidus, & Nebulosus; Cibi Viscidi, Glutinosi, Frigidi, Sanginem nimium incrassant, eique crudas viscosasque particulas suppeditantes, Ictero producendo aptum natum reddunt. Et hæc videtur esse Ratio, quare Pauperes minus bene vestitos, ut & Milites, sub Jove frigido dormientes, utrosque Cibo parco & vulgari victantes, tam frequentissimè invadit Aurigo. Vina generosiora, & Liquores fortiores, quod attinet, quæ præ omnibus fere aliis causis malè audiunt, Illa continuo & mane & sero ingurgitata, Appetitum prosternunt, Concoctiones lœdunt, Secretiones inhibitent: Neque hic proh Dolor! cessat Tragædia: Nam hi spiritus in Sanguinem admissi, propter summam Volatilitatem, non sufficietes ibi moras necunt, sed Sanguinem Particulis suis spirituosis & tenuibus orbantes, fugam petunt, remanentibus solummodo Particulis viscidis & effætis, in summam Crassitiem degenerantibus, edem fere modo, ut Vinis nimis diu fermentatis in dolis apertis sepe accidere solet, quæ brevi temporis Tractu post Spirituum tenuiorum Jacturam, crassa, vapida, nec non subacida fiunt, quod & Circa Epistomia præcipue observatur, ut Oenopolæ miserè testari possunt.

IX.

De Morsu Viperæ, & Venenis certis assumptis, quæ inter causas externas ab omnibus ferè recensentur, Res non adeo patet: Et profecto an Viperæ Morsus & Venena hausta Icterum verum producere possunt, in dubium revocandum est. Galenus quidem scribit

I N A U G U R A L I S. 7

scribit de Servo quodam Imperiali, cuius Corpus ex Viperæ Mor-
su colorem Porri referebat: & Avenzoar de alio cuius Cutis ex
Veneni Potu colorem Corticis Citri æmulabatur: sed hic nulla
adsunt Icteri Symptomata præter colores Porraceos & Citrinos,
qui non ab Ictero, (meo saltet judicio) sed à Venenis Ortum
trahere videntur: Ne autem Quis putet me hanc Hæresin primo
disseminare, Verba Doctissimi Sennerti de hac Re transcribere non
gravabor, quæ sic se habent. Est proptium Venenorum humores
corrumpere, & minima Portio Veneni corpori communicata instar
Fermenti totam massam sanguinis penetrat, eamque corruptit,
quæ corrupta, nunc hic, nunc alijs color inducit, pro Natura
Veneni; Neque credibile malam qualitatem illam solum Hepati
imprimi, ut multa Bilis generetur, cum Mutatio illa in toto Cor-
pore subito fiat, & humor ille flavus vel Viridis non propriè Bilis
sit, sed Venenosus & Malignus. Et paulo post. Imo credibile est
istum Humorem, qui à Veneno provenit, non Bilem esse, sed
ex Humorum cum Bonorum tum Excrementiorum corruptione,
ortum. Pract. lib. III. Pars VI. sect. II.

X.

Neque hic prætereunda sunt Quies nimia, ut Vita otiosa & se-
dentaria, somnus nimius: Quæ Humores per Poros cutis discu-
tiendos retinendo, & Particulas viscidas cumulando, Sanguinem
increassant, ejusque motum impediunt. His etiam addi possunt
Animi Pathemata vehementiora, præcipue Mæror & Tristitia,
quæ Humores glutinosos, & Obstructionibus producendis aptos
reddunt. Inter causas denique Præter naturales, Febres, Vænas
Sectiones debito frequentiores, aliæque Ægritudines diurniores,
quibus Icterus saepè succedit, referri possunt; Utpote quæ
Sanguinem Particulis suis Nobiliaribus ita depauperant, ut effæctus
& viscosus evadat.

X I.

Diagnosis ex Definitione facili negotio colligi potest. Tinctu-
ra Icteria in Tunica Oculorum Adnata primum se prodit, quis
cæteris

8 D I S P U T A T I O M E D I C A

cæteris Partibus albicantior est , & (quod dici solet) Contraria juxta se posita clarius eluescunt : Præterea hæc Membrana Venu-
lis, Arteriolisque numerosissimis donatur , quæ sanguine Bilioso repleta colorem intensè flavum Oculis conciliant . Urina viscidis suis Particulis Chartam albam , vel Linteamina intincta Colore sum-
mè Crocco , aliquando nigro, inficit, pauca est & turbida ; &
Elutriata Spumam flavam haud aliter quam sapo & Aqua simul mixta , & Lotricum Manibus agitata , exhibit : Bilis enim , quâ Urina Ictericorum imprægnatur , ex Sale & Oleo constat. Signa , quæ hunc concomitantur Morbum , sunt Alvus astricta , Respiratio difficultis , Pruritus , Sitis aucta , Oris Amarities , Membro-
rum Lassitudo , ut & summus Corporis Languor , & Emaciatio , Dolor Hypochondrii &c. quorum omnium causas ex Principiis jam positis non difficile est explicare , Alvus pertinaciter est astricta , Fæces duræ & Albicantes excernuntur , quoniam propter Vias totaliter obstructas , Bili omnis denegatur Transitus , quæ in Statu naturali , Particulis suis oleosis & salinis Fibras Intestino-
rum solet stimulare . Excrementa Flavedine tingere , & lubrica red-
dere. Respiratio difficultis & Præcordiorum Angustia necessario se-
quuntur : Cum enim sanguis crassus & viscosus in Pulmones im-
pellitur , agrè per angustissimos ejus Meatus transit , hinc neces-
sum est , ut Pulmones infaciens , & Bronchia Compressione an-
gustans difficultem Respirationem efficeret . Pruritus in totâ Corpo-
ris superficie percipitur : Quoniam Bilis acribus & pungentibus Parti-
culis saturata , & insimul crassa existens , Poros cutis permeare nequit ,
hinc ob majorem hujus in dorso densitatem , quam Bilis penetrare
nequit , in ea potissimum parte Pruritus sentitur . Oris Amarities à
Bile per totum Corpus diffusa , & tandem Lingua afficiente , oritur :
Saliva etiam tunc simul acris , & plus minus salsa reddita , sitim auget.
Membrorum Lassitudo & Pulsus tardus accidentur ob lentas & langui-
das sanguinis Circulationes , ob Defectum , vel nimiam spirituum Inviscationem , propterea Motus locales nec promptè ineunt , nec
vegetè perficiunt . Dolor denique gravatus , qui in Hypochondrio dextro sentitur ab Hepate obstructo & indurato , à Vasis Sanguine ,
Lympha , vel Bile , ultra Tonum distentis , vel a Calculis in Vasis Bi-
lariis , provenit .

Ad

XII.

Ad differentias quod attinet: Authores distingue solent inter Icterum primarium à nullo morbo productum, & secundarium, quando sc. sive critice, sive symptomaticè Febribus supervenit. Clariss. Morton Icterum in accidentalem vel acutum, & habitualem vel Chronicum dividit, hunc à scirrhoso & constricto Hepatis Parenchymate, illum vero ab obstructione ductus Choledochi oriri, statuens. Veteres Icterum flavum à nigro differre putarunt, sic ex Liene nigrum ex Hepate vero flavum procedere crederunt. Talis vero differentia nihil valet, tunc enim Icterus niger flavo succedit, quando sc. propter Morbi Longitudinem, & sanguinis constitutionem malam. Bilis primò viridi, & postea Saturore & Nigricante colore donatur: Hoc Excellentissimus Willis in libro eleganti de Fermentatione experimenti illustrat. si, (inquit) *Bilis flava Cysti fellea exempta, ac Cucurbitæ indita, leni Balnei Calori exponatur, eadem brevi viridescat, ac postea instar Atramenti nigerrime apparebit.*

XIII.

Quod ad Prognosin, Icterus ab inflammatione cum Febre, aut a Scirrho Hepatis proveniens, est periculosisimus: Criticus salutaris est, quando sc. Febribus die Septimo, Nono, Undecimo, aut Decimo-quarto supervenit, nisi Viscera indurata sint: Hipp. Aph. 64. Sect. iv. Symptomaticus malus est, nisi Evacuationes per Urinam, Alvum, aut Hæmorrhagiam accidunt. Si Vesica fellea Calculis sit obstructa; malum est desperatum. Gravidis superveniens Abortum minatur. Icterus niger cum majore difficultate afferetur quam Flavus, cum malum per longas moras invaluit. Icterum Chronicum sæpe excipit Phthisis & istam Phthisin Hydrops vide Morton de Phthisi Icteritia.

ANT

B

His

XIV.

His omnibus ad hujus Morbi Naturam spectantibus, præmis-
sis, ad Curationem, quæ Medico potissimum incumbit, tandem
pervenimus. Si Morbus Regius ab Hepatis Inflammatione vel
Scirrho oriatur, ad istorum Affectuum Sublationem Curatio diri-
genda est. Qui vero in Febris putridis contingit, si Criticus
sit, nulla Curatione indiget, ut monet Riverius. Si vero ob-
structiones aut in Folliculo Felleo, Meatu Cystico, aut alibi in
Hepate, vel Vasis Choledochis in Causa sunt: Indicationes cura-
tivæ erunt, ut hæ obstructiones referentur, ut Bilis ex sanguine,
& Vasis Biliferis eliminetur, ut Sanguis Viscosus & Effætus, Vo-
latilis & Tenuis reddatur, denique symptomatis urgentibus & Vi-
ribus prospiciendum est.

XV.

Ut his Indicationibus satisfiat, Cathartica imprimis condu-
cunt, tum ut materia in primis viis hærens eliminetur, tum ut Va-
sa Bilifera irritata ad Excretionem sollicitentur: deinde Medica-
menta acria & amara præscribi possunt, quæ ductus angustissimos
permeantia, Obstructiones removeant, & Bilis à sanguine per
proprias vias separationem promoveant.

XVI.

Purgantia in hoc casu maxime appropriata sunt, Rhabarbarum
quovis modo usurpatum. Decoctum amarum cum Purgantibus sc.
Senn. 3ij. Rhab. 3iij., Tinctura sacra ab 3ij ad 3iv, vel Po-
tio sequens

R. Fol. Senn. 3ij. Rhabarb.
Incis 3j. Macerentur. in Ag.
Fontan. 3v. Ag. Mirab. 3j.
Totâ. Nocte, Colaturâ Mane.

a*III**Fact.*

INAUGURALIS.

Fact. Dissolve Syrup. de Cichor.

Cum Rhab. ʒj. Elett. e succo

Ros. ʒj M. F. Potio purgativa cum Regimine capienda, quarta quaque die repetenda.

XVII.

Inter deoppilativa & Anti-Ictericā recensentur sequentia quæ, ut plurimum per Diuresin vel Diaphoresin evacuant: Radices quinque famosissimæ aperientes, Rad. Rhabarb. Urtic. Urent. Ari, Gentian. Cureum. Coricē Rad. Cappar. Tamarisc. Fraxin. Berber. Herba Absinth. Tanacet. Abrotan. Marrub. (cujus succus à Diascoride, & Syrūpus a Foresto valde commendantur) Chelidon. major cum toto, Fragaria cum toto, Fumaria, Centaurium minus, Crocus. Omnia Hepatica dicta, ut Agrimon. Hepatica, Phyllitis &c. Utī & Aq. Gentian compos. Aq. Lumb. Mag. Aq. Mirab. Decoctum Ictericum Pharmacop. Batean. Infusio Ictericā Batei, Syrūpus de quinque Radicibus, Syrup. Raphan. Compos. Diacroc. Species diatrion Santalōn. Trochisc. de Cappar. Palvis Ictericus Batei, ex quibus Decocta; Pilulas, Electuaria, Julapia &c. (prout hoc vel illud ægro magis arridebit) facili negotio Medicus parare potest. Ne autem Medicaminum Farragini, quā, Ars medica jam satis superque obruta est, & usque ad Naufragium inserta, nimis addere viderer, unam tantum Formulam adiungam. Apozinaris Exemplum tale sit.

R. Rad. Rub. Tinctor.

Curcuma aa. ʒij.

Coric. Inter. Berber.

Tamarisc. an. ʒiij.

Chelidon. Maj. cum toto

Fragar. cum toto aa. Miij.

Coquo in Aq. Fontan. Q. S.

Ad ibij. addendo circa finem

Ebullitionis. vini. Rhenan. ℔.

Colat. adde Aq. Mirab. Syrup.

B 2

Quin-

12 DISPUTATIO MEDICA

e Quinque Radicibus aa. 3ij.

*Tinctura Croci 3*fl.* M. F.*

*Apozema, de quo capiat ager 3*iv.**

*(Agitatà Phalà) calidiuscula mane & nocte & quartâ
quaque hora per totum diem.*

L I V X

Inter hanc Classem Sapo Venetus Remedium illud decantatissimum , jure merito recenseri debet , utpote qui Ictericis egregiam opem ferre solet , quod novi in Virgine quâdam pulcherrimâ , & mihi Consanguineâ , quæ ab Ictero gravi & pertinaci , hujus solius Medicamenti Usu liberata $\epsilon\nu\chi\rho\nu\Theta$ atque $\epsilon\nu\omega\rho\nu\Theta$ evasit , quam nunc irrupta tenet Copula . Exhibeat ad 3*j.* in Lacte vel Cerevisia solut. & edulcorat: vel in Pilulas formetur cum Extracto Chelid. major.

X V I I I.

Sanguinis Visciditatem & Lentorem tollunt , omnia sale volatili prædicta sc. Sal. & Spir. Succini, Armon. CC. ut & Milliped. Pediculi , Stercora Anserum , Ovium &c. sed ante omnia Chalybeata , quæ deploratissimos Ictericos curaverunt. Nam omne ferunt Punctum , quia non tantum vasa obstructa referant , verum etiam vires sanguinis effætas de Novo instaurant , & inter hæc Aquæ Minerale egrium Juvamen præstant , modo Obstructiones non eo invaluerint , ut Aquarium Fluxum per Urinam præpediant. Morton. Pro Vino Chalybeato sequens præscribatur.

B. Fol. Agerat. Chelid. Maj.

Cochl. Hortens. Sum. Cent.

aa. piij Curcumæ 3ij. Salis

Absinth. 3*j.* Gum. Lacc. 3*fl.*

Limat. Chalybis 3ij. infunde in Vini Rhen. libij.

Vel libij. stens per tres dies , de Colat. bibat. ager 3*iv.*

I N A U G U R A L I S. 13
C O R O N A T I A

X I X.

Si accidat ut Colica Biliosa in Ictero desinit, Catharticis non insitendum est, sed de-obstruentibus, ut monet Excellentissimus No-

ster Sydenham de Colica Biliosa. Cum Infantibus, (quibus hic

Morbus valde familiaris est) leniter omnino procedendum est.

Tractari mollius erat — Imbecilla velit. Igitur Purgationibus violentioribus omissis, blandè tantum subducatur Alvus, & postea Crocus ad gr. j. in Lac^te Materno exhibeat, vel Decoctum Fragariae cum Passulis. Ubi Vasa Bilifera Calculis sint obstruta, Decoctum, vel succum Graminis valde laudat Sylvius, exemplo Boum & Ovium, qui hyberno tempore, Fæno aut Stramine pascentes in Vesica fellea & alibi circa Hepar Materiam lapideam congerunt, vernâ autem tempestate, cum recenti vescuntur Gramine, eadem rarius invenitur. Contra Leipothymias, quæ in hoc morbo accidere solent, Aq. Mirab. Tinctura Croci Aq. Lumb. cum Syrup. Caryophillorum, vel Sp. Salis Armon. præscribi possunt.

X X.

Quoad Diætam, exulent Pisces præcipue marini, Animalium extremitates, Carnes salitæ, & Fumo iudicatae, ut & omnia Alimenta glutinosa & viscosa. Conveniunt Cibi Aromatibus & Condimentis subacribus, ut Sinapi, Raphano Rusticano &c. conditi. Potus sit Vinum Absinthites, vel Cerevisia medicata ex Amaris & Hepaticis facta. Alvus respondeat. Animi Mæror sedulo vitetur. Aër sit perflatilis, denique Exercitio moderato sèpius utatur æger, quæ omnia ad Obstructiones referendas, adeoque Icterum tollendum multum conferunt.

.I V

C O -

E I N I I Z .

COROLLARIA.

I.

Hypothesis de Motu Bilis circulari à Borello inventa, & a D. Nuck tam acriter defensa, falso nititur fundamento.

II.

Ex Defectu Bilis Icterus aliquando producitur.

III.

Bilis Analysis Chymica tum sal Volatile tum fixum suppeditat.

IV.

Icterus à sanguinis nimia Tenuitate nunquam oritur.

V.

Bilis Hepar ab Obstructionibus liberum tuetur.

VI.

Bilis non effervescit cum succo Pancreatico in Duodeno.

CO.

F I N I S.

*Ad Virum Doctissimum, & Amicum
DOMINUM
SAMUELEM SHAW,
dum Theses de ICTERO pro Gradu
Doctoratus defenderet.*



Hæbe potens sævis vel Morbis lædere Gentes,
Læfas solerti vel relevare manu.
Aspice tu decus hoc nostrum, placidusque fatere
Indomitus quantum prosit in Arte Labor.
Non Ictrum posthac Pestemve minaberis Orbi,
Fortius hic Juvenis dum Medicamen habet.
Mitte dehinc Iras, & Nato Carmina dona,
Neglectum telum dejice, sume Lyram.

MATTHÆUS PRIOR, A. M.
& Colleg. Divi Joann. Cantab. Socius.

AD EUNDEM.



Æc dum scripta lego dumque altâ men-
te revolvo,
Et medicum video Rhetora tumque
simul.

Omnia tam compto, nitido & Sermone relata,
Auhorem ut loquitur pagina quæque suum.

Magnum opus aggreditur, nec magnis excidit ausis,
Solerti ad portum ducit & Arte Ratem:
Tum penetrat morbi in Latebras imosque recessus,
Atque hostem Vallis pellit & ille suis.

Adsis Phæbe Pater, debitisque favoribus orna
Natum, Sicilides cingite fronde Caput.

His dabit Majora magis quoque Nomine digna,
Plures si denegant nec sibi fata dies.

Hæc Amicitiæ ergo, posuit

GULIELM. EMMERSON M. S.

Coll. Div. J. Smith C. 1828. 8. 20. 10. 11.